

nobis pro Systematis Philosophicis ruditer consuerent, *Miscellionum* aut *Quodlibetariorum* in honoratiore nomine suo merito notandi; sed illos quoque, qui, laudabili aliàs proposito, variorum Philosophorum dogmata & effata notabiliora verbotenus excerpunt, & tanquam flosculos ex amplissimis operum prolixorum campis collectos, in suum aliorumque usum, asservant, *ἐκλογαὶς*, ut ipsi vocant, h. e. indices veriùs & catalogos insigniorum sententiarum quàm Philosophiæ Systemata moliti, ideoq; *Eclogarii* rectiùs quàm *Eclēctici*, & *Collectores* justiùs quàm *Electores* dicendi: quo laudabili nomine inter priscos scriptores cum primis eminet *Stobæus* in *Eclogis*, cui non incongruè junxeris *Suidam*, *Plutarchum de placitis Philosophorum* aliosque.

VII. Ne autem ulla inanis altercationis aut *λογομαχίας* occasio superesse possit, illud insuper monendum est, quemadmodum *αἰρέσεως* vox, si ejus *ἔτυμον* & significationem propriam spectemus, *electionem* dicit, ut inter *Eclēcticos* recensere sectas omnes jure posset, quem in v oculis argutandi lubido aliqua incesset, etsi receptus vocis usus isthæc, ut opposita, reverâ distinguat, quæ sub eadem comprehendi commodè videri queant; Ita è contrario quoq; , si *Sectæ*, *Sectator*, & *Sectarius* à sectando deriventur, & *Sectarius* Philosophus is dicatur universim, cujus vel placita vel consilium, vel modum Philosophandi complures alii quomodocunq; sequuntur, *Sectatores* ejus ad eò dicendi & sectam constituentes; hautquaquam inficiamur *Eclēcticorum* etiam turbam posse *Sectam* cum *Laërtio*, & *Potamonem*, si primus tamen is novum philosophandi consilium istud arripuit, *Sectarium* dici. Verùm si non tam ratione modi philosophandi, quem unum ferè eundemq; tenuerunt omnes, quàm ratione dogmatum & placitorum cuius peculiarium, & olim divisæ sint sectæ & hodiernum dividantur; *Eclēcticos* quos num. V. descripsimus, peculiarem sectam non constituere palpabile est: Potestq; simile

simile